

Evangelium Matth: 22. cap:

Cum audissent Pharisei, quod obdurasset Jesus os Saduceis, &c.

EXORDIUM.

1. Petri: 3.
Adhortatur nos D. Petrus, ne malum reddamus pro malo: quod & Christus suo Exemplo docet in hodierno Evangelio. Licet enim quidam Phariseus, omnium reliquorum nomine tentandi gratiâ captiosam questionem ei de lege proponeret. Christus tamen non solum pro ut res erat, respondebat: verumetiam aliâ questione Evangelicâ lege, neminem salvari posse innuebat. Quapropter & nos adhortationi Apostolicæ locum relinquentes Christi vestigijs insistamus.

*1. Petri: 2.
 Matt: 11.*

NARRATIO.

Lucæ 24
Duo præcipua sunt totius Christianæ religionis, teste Christo capita, nimirum lex & Evangelium. Jubet enim utrumq; prædicare, imò & ipse de utroq; differit in hodierno Evangelio. Phariseo enim ad potissimam legis quæstionem respondet, principalem verò Evangelij quæstionem Phariseis congregatis proponit.